



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ**

**Kojałowicz, Kazimierz Wijuk**

**Antverpiae, 1668**

Modus XXXII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)



## MODUS XXXII.

**P**ER interrogationem, quando Orator, quasi dubius, aut instructionem meliorem ab aliis petiturus; proponit, se de aliqua re quæsiturum: vel ab auditoribus, vel ab absentibus, vel ab aliquibus statibus, & ordinibus, hominum, vel à scriptura, vel à Patribus, vel denique ab aliis creaturis, totumque sermonem per interrogationes iteratas necit, E. g. si quis de SS. Trinitate, inquirat sententias, & diversas, easque allatas suscipiat, aut rejiciat, Item, si ad Evangelium Dominicæ 13. post Pentec. Novem autem ubi sunt? requirat à diversis hominum statibus, an ejusmodi ingrati, apud illos non foveantur, formando pro necessitate causæ, responsiones: & ad salutare exhortationes derivando aut si Dominica 15. à Pentec. ex occasione defuncti filii viduæ in Naim, inquiratur à Medicis, Philosophis, Theologis an mors vitari possit? simili etiam modo disponitur oratio per figuram Responsionis: ut si Dominica 5. Quadrag, ad illud, quare non creditis? reponatur, unum ac aliud quia, sed sit.

## P R A X I S.

Dominica 9. post Pentecost.

*Non relinquetur lapis supra lapidem. Luc. 19.*

**A**ccessus & Propositio. Occasus Hierosolymæ, urbis, orbi & ætati, omnia admirandæ; monet nos,

nos, nullam civitatem, imò nullam Rempubl. cattam felicem debere censerì, quæ non suum occasum aliquando subire cogatur. Illud tamen verum est, ut subitò præcipitari: ita aliquandiu, conservari: consiliis ac moribus humanis, Respublicas posse. Sed quæ hæc consilia, qui mores? longum esset de utrisque differere. Hoc igitur solum hodie quæram. Per quid Regna præcipitentur. Neque id rursus, tanquam sententiam mihi arrogans nar-ravero: sed vobis coram, à viris in primis Reipublicæ gubernandæ peritis, tum à Sacra Scriptura id requiram.

### Confirmatio per Interrogationes textæ.

Est suus etiam posthumis manibus sermo, Aud. est sua oratio, tantò certior, quantò apud omnem posteritatem constantior. Illos igitur alloquor; ac in primis tuum iudicium requiro, vetustissimè observator Rerum publicarum Livi, & tuum ornatissime Romani Imperii Cultor Flore, Agite, decernite. Quid sit quod potissimum Rempubl. Romanam præcipitarit, & præcipitare possit alias? Respondet prior lib. hist. 2. *Id unum venenum, ea labes civitatibus opulentis reperta, ut magna imperia mortalia essent.* Quid ais vir doctissime sicine credis, imperia, ut hominibus; mortem agnitam habere? Ita omninò censet; & Divinæ Providentiæ,

dentia, stata imperiis tempora designantis, jura  
 prodit; O vanas hominum curas? O fallaces cogi-  
 tationes! quæ immortale aliquid censent, quod  
 mortalis constituit manus. Quisquid stat, ruat  
 necesse est; & si jam Floro aures damus? tum ruat,  
 cum maximum robur, & incrementum sumpfisse  
 videtur. Roma enim, ait ille *magnitudine sua ruit.*  
 Roma utique illa, quam Servius, in Eclog? Virgi-  
 lii, dicit non tantum magnitudine, sed genere dif-  
 ferre ab aliis civitatibus, & esse quendam alterum  
 mundum. Roma item illa, supra quam excla-  
 mant, D. Fulgent! *Quam speciosa sit necesse Hieru-  
 salem Cælestis, si sic fulget, Roma terrestris!* Si er-  
 go hæc, & tanta Roma magnitudine ruit; videant  
 quam accommodè ad bonum commune agant,  
 qui fines imperii sui cum orbe terminatos volvant;  
 imò scilicet pro Jove, Cælis imperare desiderant.  
 Sed fortassis, aliam ruentium imperiorum causam,  
 maximum Philosophiæ & Politicæ decus, Aristo-  
 teles assignarit, Bene est. Ad te jam ô laureatum  
 caput convertor; & quibus potissimum causis,  
 Republicæ collabantur, inquirō. Duas ille as-  
 signat, lib. 2. Arnisæi, in suam politicam, scri-  
 bentis, primam honores nimios paucis collatos,  
 aliis exclusis. *Cum enim multitudo inopum ab  
 honoribus exclusa est,* ait idem 3. polit. cap. 2.  
*eam Rempublicam oportet plenam esse hostium.*  
 Quod si plena sit hostium, plena erit insidiarū, ple-  
 na impugnationū, se in ruinam agentium, Secundā  
 dicit

dicit esse Nimiam potentiam civium, præsertim armatorum, *Qui enim arma in manu habent, eorum arbitrii est, ut maneat, vel non maneat, Respublica, 7. polit? cap. 9.* Dicere id posset nostra Polonia sub Sigismundo primo III. ac mox sub Joanne Casimiro Regibus, civili potentia gravissimè pressa, ac penè in exitium supremum protrusa. Sed nunquid adhuc alios non adibo? & ab iisdem non requiram? Ut latè non evager, te ornatissime Salusti, & te Fortissime Rex Jugurtha, non præterierim: quin Rerumpublicarum ruentium causas, requiram. Uterque eodem libro historiæ salustianæ respondet. Et ipse quidem Salustius, occasum imperiorum, in mutationem morum refert, iisdem quippe artibus imperia conserventur, quibus comparata fuerint, Rex autem, sensus animi alta voce promens: his Romam cadentem, & in ea; orbis imperia alloquitur. O venalem Romam, si quis reperiat, qui eam mercetur? Turpe & exitiosum Regnorum ludibrium, venale in magistratibus imperium. Quid agat virtus? quid sapientia, quid Heroum fortitudo, ubi omnia pecuniæ prostant? Abesse certè illa, talibus imperiis debent: & si absint, magna imperia, quod horrebat, Augustinus, fieri est necesse, magna atrocinia, ac inde; pænæ occasus subire.

Sed cur ego hos morer, quin ex ipsis Divinæ Sapientiæ oraculis rem expediam. Te ergo Divinissime vates Isai, Te Jeremia, te Michæa, te Zacharia: vos quotquot, Dei luce perfusa claruistis peccatora, interrogo? quæ nam sint? quæ principatus,

cipatus, Regna Imperiaque in præceptis agunt? Nemo illorum non illa voce Eccles. cap. 40. respondet. *Mors, Sanguis, Contentio, & romphæa oppressiones, fames, & contritio, & flagella, super iniquos creata sunt hæc omnia.* Eheu peccata, quam facilè admittimini, & quam dimittimini, difficile! nec hominibus, tantum singulis, sed totis regnis, ac Imperiis interitum adfertis! Zachariæ 5. vidit Propheta, Amphoram, cui infidebat fæmina, habens nomen, *Iniquitas*, in terram Senaar transferri. Quod istud monstri? Regnorum scilicet, consentientibus scriptoribus vices, significantur: quæ, propter iniquitates populi mutantur, & transferuntur: juxta edictum Spiritus Sancti Eccles. 10. v. 8. *Regnum, à gente ad gentem, transfertur propter injustitias.* Quod si inquiramus quæ potissimum scelera, hanc pænam Dei, secum trahant, dicit Isa. cap. 23. esse luxum, & superbiam; *Quis cogitavit, inquit, hoc super Tyrum, quondam coronatam? cujus negotiatores, principes: institores ejus, inclytæ terra. Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloria.* Dicit item idem, cap. 26. esse pauperum, oppressionem, *incurvabit habitatores in excelsis, civitatem sublimem humiliabit.* Quid ita? reddit causam, *conculcabit eam pes, pedes pauperum, gressus egenorum:* scilicet, confirmante David Psal. 10. *Tibi, O Deus, derelictus est pauper: orphano, tu eris adjutor.* Denique concludet ipsa veritas & orbis servator: esse Impenitentiam; quam hodierno sermone describit. Luc. 19. *Quia, si cognovisses, & tu, & quidem in hac die,*

qua ad pacem tibi: nunc autem, abscondita sunt ab oculis tuis. Audite hæc Reges, audite Regna, & intelligite, quia patiens est dominus, & multæ misericordiæ: verumtamen nisi convertamini, in die, quæ ad Pacem vobis est, in tempore opportuno, Psal. 33. aut ut Hab! legunt, in tempore inventionis: fiet quod post impænitentiam Jerosolymæ prædictum. Venient dies in te, & non relinquetur lapis supra lapidem; Cogentibus peccatis vestris, Deum quodammodo invitum, ad ultionem justam, de vobis sumendam: juxta quod loquitur Salvian, lib. 6. de provid. Circumsonabant armis, muros Carthaginis, populi barbarorum: & Ecclesia Carthaginensis, insaniebat in circis, luxuriabat in theatris. Alii foris jugulabantur, alii intus fornicabantur. Pars plebis foris erat captiva hostium; pars intus, captiva vitiorum. Tum addit. Et cum hæc omnia fierent, quid aliud talis populus agebat, nisi, ut cum Deus perdere adhuc fortasse noller, tamen ipse exigeret, ut periret. O cæcitatem? O amentiam? semper vitandam.



## MODUS XXXIII.

Sententia habens specialem Emphasim, aut propter mysterii excellentiam inclusam; aut propter beneficii magnitudinem, significatam; aut propter præmii, vel pænarum excellentiam exaggeratam; ita tractanda assumitur, ut toto Oratio-